

Prophet. Episc. Allegat. 40. num. 10. cum communissima tam Theologorum, quam Canonitarum. Ratio est; quia verba, signa & facta hujusmodi externa, quibus hæresis interna quantumvis in occulto, & nemine præsentè manifestatur, ex natura sua sunt cognoscibilia, & judicio Ecclesiæ subiecta; per occidens autem est, quod hic & nunc sint occulta, nemine præsentè edita: liquidem ex hoc præcisè habetur, quod puniri nequeant penâ per accusationem, vel cognitionem judicalem, minime verò, quod plebii non valeant penâ, quæ ab ipsa Lege, vel Canone jam est imposita, & quæ nec accusationem, nec cognitionem, nec sententiam requirit judicalem, qualis est Excommunicatio. Exemplificatur hæc doctrina infra num. 243. & seq.

237 Resp. II. Hæresis formalis externa sequentes vexas habet poenas spirituales, videlicet I. est, Excommunicatio Major. II. Irregularitas. III. Inhabilitas ad Officia, Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica. IV. Privatio eorumdem etiam prius ritè obtentorum. V. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. VI. Quod hæresis parentum afficiat, & ad officia & Beneficia Ecclesiastica inhabilitet Filios ac Nepotes etiam Catholicos. VII. Quod intuitu, & dolo hæresis Catholicus privetur Beneficiis per preces hæretici acquisitis, simulque inhabilis fiat, ad illa, & alia. Quæ cuncta clarè patebunt ex sequentibus; quia pro majore claritate & intelligentiâ harum poenarum, de quavis earum specialem ponemus Quæstionem, Itaque

238 Quæritur II. An, & qualiter hæretici, eisque Credentes, ac Receptores, Fautores, & Defensores eorum subiaceant prima Pœna spirituali, Excommunicationi videlicet? Resp. I. Certum est, omnes & singulos, cuiuscunque nominis existant, hæreticos formales externos ipso facto subiacere Excommunicationi Majori Pœnæ reservatæ. Unanimis & certa ob clara Jura c. Sicur. 8. c. Ad abolendam. 9. c. Excommunicamus. 13. h. 1. ibi: Excommunicamus, & anathematizamus universos hæreticos &c. quibuscunque nominibus censentur, facies quidem habentes diversas, sed causas ad invicem colligatas; quia de vanitate conveniunt in idipsum &c. cum Concordantiis. Accedit Bulla Cœnæ hanc Excommunicationem soli Pœnæ reservans §. r. ibi: Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus S. auctoritate quoque Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostrâ, quoscunque Hussitas, Wiclephitos, Lutheranos, Zwinglianos, Calvinistas, Hugonotos, Trinitarios, & à Christiana Fide Apostatas, ac omnes & singulos alios hæreticos: quoscunque nomine censentur, ac cuiuscunque Sæcæ existant.

239 Verum ut quis ob hæresin dictæ Excommunicationi subiaceat, sequentes requiruntur conditiones, videlicet I. ut quis sit hæreticus formalis, juxta dicta num. 234. Hinc Ruffici, & alii plebei Lutherani, & Calvinistæ, si redeuntes ad Fidem nostram soli materiales Hæretici fuisse cognoscuntur, in Foro interno à quolibet absolvi possunt, uti bene advertunt Layman lib. 2. tr. 1. cap. 12. num. 4. Pishing h. 2. num. 16. quavis laudabilis plerumque Diocesani consuetudo ubique meriti imitanda habeat, quod etiam tales mittantur ad Episcopum, vel eos, qui specialem facultatem absolventi ab hæresi habent, ut ibidem quoad utrumque Forum, emissâ etiam publicâ Fidei professione absolvantur; idque pro majori securitate Fori non tantum externi, sed etiam interni; cum sæpe dubium & periculum sit, an non tales sint, vel fuerint etiam hæretici formales.

240 II. Conditio est, ut hæresis sit externa, modo

num. 236. explicata, ob rationem ibidem allegatam. Hinc Hæreticus merè mentalis, seu internus à quovis absolvi potest, utpote Excommunicationis minime subiectus.

III. Conditio est, ut actus externus, quo hæresis interna manifestatur, sit animo & intentione asserendi seu profitendi hæresin. Sanchez lib. 2. cap. 8. n. 7. & 17. Layman loc. cit. cap. 14. n. 3. Pishing h. 2. num. 19. cum communi. Ratio est; quia Excommunicatio lata est propter externum peccatum hæresis; quale non est nisi illud, quod ab interna hæresi procedit, & informatur, quod fit, dum quis eam actu externo asserere, & profiteri intendit.

Additur communiter Conditio IV. videlicet, ut actus externus, quod res interna proditur, sit moraliter malus. Verum hæc Conditio in præcedenti jam includi videtur: quia quandoquocumque actus externus fit animo asserendi, seu profitendi internam hæresin, jam hoc ipso est moraliter malus, et si aliâ ex natura sua talis non esset uti bene advertit Sporer Tom. 3. Tr. in primum Præceptum Decalogi, cap. 3. num. 23.

Cæterum ex dictis Conditionibus inferitur, verè incurrere Excommunicationem illum, qui hæresin, cui internè adhæret, v. g. non dari Purgatorium; Christum non esse Deum; præcepta Ecclesiæ non esse servanda &c. verbis, scriptis, vel alio signo externè sufficienter expressivo, animo eandem asserendi, seu contestandi, vel profitendi, manifestat: v. g. qui etiam solus secum loquens dicit: non datur Purgatorium; Christus non est Deus; vel qui animo eandem profitendi die Veneris comedit carnes; vel die Fello non audit Missam; coram Sanctissimo Sacramento non flectit genu, caput non denudat.

Econtra ab Excommunicatione immunem esse I. Qui hæresin animo conceptam externè manifestat alteri, consilii gratiâ; vel ut ab eo magis instruat; quia hic actus non est peccaminosus.

II. Qui legendò, narrando, disputando, externè profert hæresin, quam intertè fovet, non animo eam confirmandi, aut exprimendi, sed præcisè legendi, disputandi, aut narrandi gratiâ; quia non profert illam ut propriam, sed ut alienam; consequenter deest secunda Conditio.

III. Qui hæresin suam internam externè quodammodo profert, verbis tamen, aut signis ex natura sua eandem non sufficienter exprimit; v. g. si quis internè credens, Christus non est Deus, vel Christus non est sub speciebus panis aut vini: externè solum diceret, non est Deus; vel credo sub speciebus non esse, quia hæc verba non sufficienter expriment dictam hæresin, nec possent Ecclesiæ ex illis solis aliquem hæresin reum judicare; cum ex se sint indifferentia, & possent quæ subintelligere, & dicere velle; Murus non est Deus; credo sub speciebus non esse solum hominem &c. deest ergo in similibus tertia Conditio. De his à num. 243. positâ; & aliis pluribus hujusmodi exemplis videri poterit Sanchez cit. c. 8. num. 8. Layman loc. cit. à num. 1. Pishing h. 2. à n. 16.

Resp. II. Non tantum hæretici, sed etiam Credentes eis, Receptores item Defensores & Fautores eorumdem Excommunicationi summo Pontifici reservatæ subiacent. Rursus certa ac unanimis claris Juribus, cit. c. Excommunicamus 13. h. 2. ibi: Credentes præterea, Receptores, Defensores, & Fautores hæreticorum Excommunicationi subiacere decernimus, cum Concordantiis; & Bulla Cœnæ, quæ textu suo præced. allegato immediate subiungit: Ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, & generaliter quoscunque illorum defensores, Credentes autem ad propositum censentur non tantum

tantum illi, qui uni alterive errori hæreticorum contra Fidem credunt, & signo externo assentiunt, sed etiam, qui in communi eis assentiunt, v. g. verbo vel facto externo manifestantes, se credere quiddam Lutherani, vel Calvinistæ credunt. Barbosa in c. Excommunicamus. 13. h. 2. num. 20. Pishing h. 2. num. 106. Navarrus Manual. cap. 27. n. 55. Layman lib. 2. Tract. 1. cap. 14. num. 5. & alii bene etiam advertentes, quod et si Credentes, tæ ipsâ, veri sint hæretici, ac horum nomine veniant, tamen ne quis de eorum Excommunicatione dubitare possit, specificè expressi sint. Inter Credentes Hæreticis reputantur etiam illi, qui implicite eis credunt, idque facto, aut signo externo abique voce manifestant, v. g. qui in infirmitate hæreticum Patrem vocant, ab eoque manus impositionem pro sua consolatione, & auxilio petunt, Pishing loc. cit. num. 109. arg. c. Filii 3. h. 2. in 6. ibi: Filii eorum, qui dum in lecto infirmi decumbent, petierint hæreticos Consolutores, ut per manus impositionem ab eis consolationem reciperent, &c.

249 Receptores Hæreticorum sunt, & dicuntur illi, qui hæreticum ob causam hæresis fugientem, seque occultantem, ne in manus Judicis veniat, alibi recipiunt, & multò magis, si ad hunc finem abscondunt. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 10. num. 10. Farinacius de hæresi. q. 182. num. 152. Layman loc. cit. Pishing loc. cit. num. 112. Nec refert, si privata persona id faciat, si publica, aut Princeps recipiendū hæreticum in Provinciam, aut Civitatem, si in propriam, si in alienam domum, quia Jus quoad locum non distinguit. Sanchez loc. cit.

250 Defensores sunt, qui quovis modo, vi aut dolo, verbis, aut calamo hæreticorum errores, vel personas defendunt, ut etiam in hæresi manentes tutò possint vivere, aut ne in manus Judicis veniant, neve ab eis puniantur; item qui ob hæresin captos, è carceribus aut manibus Judicum eripiunt, eos puniri prohibent, impediunt &c. Barbosa in cit. c. Excommunicamus 13. h. 2. num. 2. Pishing loc. cit. n. 113. Azorius p. 1. lib. 3. cap. 15. q. 6. Sanchez cit. cap. 10. num. 18.

251 Fautores (qui cum Receptoribus subinde coincidunt) dicuntur, qui quovis modo, sive positive, sive negative auxilium, & favorem præbent hæreticis, vel ut ob hæresin capiuntur, puniantur, ejiciantur, vel ut è manibus Judicum liberentur, aut poenas evadant. Sic positive favent, qui ob dictum finem dant eis auxilium, consilium, ne ob hæresin è Regno, vel Provincia ejiciantur, coercantur, vel qui executionem justitiæ directè vel indirectè impediunt, dissuadent, allegando, eos esse viros probos, fieri eis injuriam &c. vel qui directè aut indirectè præbent auxilium vel consilium, ut alicubi recipiantur, in libero suæ Sæcæ exercitio permittantur &c. Negative verò favere dicuntur, qui quod contra hæreticos ob hæresin ex Officio facere debent, omittunt, ut si v. g. Magistratus vel alii Ministri justitiæ ibi, ubi vi valide pacis, aut tractatus non impediuntur, hæreticos capere, vel captos debite custodire, aut punire omittunt. Azorius cit. cap. 15. q. 7. Layman lib. 2. Tr. 1. cap. 14. n. 5. Sanchez lib. 2. cap. 10. n. 11. & seq. & alii.

252 Eidem Excommunicationi ipso facto etiam subiacent, qui Hæreticum, aut ejus Factorem, Receptorem, vel Credentem eisdem corpus in loco sacro sepeliunt, textu claco c. Quicumque 2. h. 2. ibi: Quicumque hæreticos, credentes, receptores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumptè Ecclesiasticæ tradiderit sepultura, usque ad satisfactio-

nem Excommunicationis sententiæ se novèrunt subiacere. Hæc tamen Excommunicatio nullibi reperitur reservata Pœnæ; consequenter ab ea quivis absolvere poterit, dummodo Excommunicatus prius faciat, quod Jus præscribit c. 2. h. 2. in 6. præscribit illis verbis: Nec absolutio beneficii mereatur, nisi propriis manibus publicè examulent, & projiciant hujusmodi corpora damiatorum.

Resp. III. Receptores, Defensores, & Fautores Hæreticorum Excommunicationem Pœnæ reservatam incurrunt, etiam si non habent formalem & directam intentionem idè receptandi, vel defendendi hæreticos, vel eisdem favendi, ut in sua hæresi permanere, vel eam docere, defendere, vel ulterius diffundere valeant; sed propter aliud motivum, amoris v. g. amicitie, commiserationis, consanguinitatis, affinitatis &c. Dummodo sua receptione, defensione, aut favore, tæ ipsâ scienter faciant, aut impediunt, ne ob hæresin accusentur, capiuntur, puniantur, aut idiplum ex officio facere omittunt. G. Sylvester y. hæresis 1. q. 7. §. Fautores. Ugolinus de Censuris Pœnæ reservatis, p. 1. cap. 1. §. Receptores. §. 1. num. 3. Vivaldus in Explanat. Bullæ Cœnæ, cum Communi aliorum contra Sanchez lib. 2. cap. 10. n. 5. Layman lib. 2. tr. 1. cap. 14. num. 5. arg. L. 2. ff. de Receptat. ubi habetur, etiam illum, qui causa consanguinitatis latronem recipit, puniendum esse. Ratio verò est quia tæ ipsâ, & in effectu potest quis tali receptione ad conservandam, vel promovendam Hæresin concurrere, adeoque verè ac propriè Receptor Hæretici est, quamvis id non faciat ex formali, ac directâ intentione.

Quæritur III. An, & qualiter ob Hæresin quis contrahat poenam Irregularitatis? Resp. I. Omnes Hæretici notorii, seu publici notoreitate facti, vel Juris, ipso facto sunt irregulares, ita ut nec suscipere Ordines, nec susceptos exercere valeant, etiam si convertantur, & ab Hæresi absoluti sint. Communis, ac certa, arg. can. 1. & can. Saluberrimum. 21. cau. 1. q. 7. juncto c. 2. §. Hæretici & c. Statutum. 15. de Hæret. in 6. ubi Hæretici redduntur inhabiles ad Beneficia Ecclesiastica, ad que etiam Ordo pertinet. Porro poena Irregularitatis afficit etiam Credentes Hæreticis, eorumque Receptores, Defensores, & Fautores, cit. c. 2. §. Hæretici, & Statutum, h. 2. in 6.

Resp. II. Quamvis non improbable videatur, quod nec Hæreticus occultus, nec Receptores, vel Defensores illius sint irregulares, uti tenet Avila p. 7. disp. 4. dub. 2. Henriquez lib. 14. cap. 4. num. 6. Layman lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 4. num. 12. Farinacius de Hæresi. q. 192. num. 79. Pishing h. 2. num. 46. arg. c. Ad abolendam. q. h. 2. ubi sermo est de Hæretico publico; uti etiam in can. Saluberrimum. cau. 21. cau. 1. q. 7. Rationem allegant, videlicet, quia non propter Hæresin solam, sed quatenus anexam habet Juris infamiam, Irregularitas decreta videtur in Hæreticos, quæ infamia locum non habet in Hæresi occultâ; tamen probabilis, Jurique conformis est, etiam occultos Hæreticos, Receptores, Defensores &c. esse irregulares Farinac. de Hæresi. q. 192. n. 68. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 25. num. 2. Sylvester v. Crimen. q. 2. n. 3. Azorius p. 1. lib. 3. cap. 11. q. 3. & cap. 21. q. 2. cum Communi & veriori aliorum, Tum quia Jura universali ter loquuntur: Tum quia Clemens VII. Inquisitoribus concecit facultatem dispensandi in Irregularitate ob Hæresin occultam: Tum quia ratio ab Adversariis allata non subsistit juxta dicenda num. 276. Hinc sicut ob Hæresin occultam contrahitur Excommunicatio, ita & Irregularitas.

Quæritur IV. An, & qualiter Hæresis inducat

penam inhabilitatis ad Dignitates, Beneficia, & Officia Ecclesiastica? Resp. I. Certum est, hanc penam ipso facto incurere Hæreticos, & Credentes eisdem, necnon Receptatores, & Fautores eorum. Omnes, claris Juribus Quicunque 2. §. Hæretici. h. t. in 6. ibi: Hæretici autem, credentes, receptatores, & fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum Beneficium, seu Officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane. Quod idem statuitur c. Statutum 15. eod. in 6.

257 Quare collatio Beneficii facta Hæretico est ipso Jure nulla; teneturque illud in Hæresi accipiens iterum dimittere, & fructus inde perceptos restituere ante omnem Judicis sententiam, hoc ipso, quod injuste, ac sine justo titulo sint recepti. Farinacius de Hæresi. q. 189. num. 71. Castro Palao de Hæresi. tr. 4. disp. 4. par. 5. nu. 1. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 26. nu. 4. Garcias p. 11. de Benefic. cap. 10. num. 72. & 80. Pithing h. t. num. 49.

258 Resp. II. Hæreticus est, & manet irregularis, & inhabilis ad Beneficia, & Officia Ecclesiastica, etiam si Hæresim abjuret, & absolvatur ab ea, saltem si fuit Hæreticus manifestus, seu notorius. Palao loc. cit. num. 2. dicens, id esse certum, Hostiensis in Summa. h. t. §. Quando, & qualiter. num. 12. Germinianus in c. Super eo. h. t. & alii relati à Farinacio de Hæresi. q. 193. num. 68. Ratio est; quia Hæreticus notorius est irregularis per dicta supra n. 254. Irregularis autem est inhabilis ad Beneficia, donec absolvatur ab ea, ergo.

259 Dicitur autem notanter, saltem si Hæreticus fuit notorius; quia num etiam Hæreticus occultus maneat inhabilis, postquam ab Hæresi conversus, & absolutus est, controvertunt Doctores, uti videre est apud Farinacium de Hæresi q. 189. nu. 82. & seq. §. q. 193. à num. 66. & alios Doctores, quos consule. Nobis, spectando Jura usupte indistincte loquentia affirmativa videtur probabilior.

260 Queritur N. An, & qualiter Hæresis privet Beneficiis, & Officiis Ecclesiasticis prius ritè obtentis? Resp. I. Certum est, Beneficiis, & Officiis prius ritè obtentis privati omnes in Hæresi labentes, eorumque Receptatores, & Defensores. Communis, & certa, arg. c. Ad abolendum. 9. h. t. ibi: Omni officio, & beneficio spoliatus seculari relinquatur arbitrio potestatis, & c. Ut commissi. 12. eod. in 6. ibi: Privandi præterea vel privatos nuntiandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Ecclesiasticis &c. Officiis, ac honoribus publicis quibuscumque eisdem Hæreticos, Receptatores, ac Defensores eorumque filios & nepotes.

261 Controversia autem est inter Doctores, utrum in Hæresi lapsus ipso Jure sit privatus, vel primum per sententiam Judicis condemnatoriam privandus? Hanc posteriorem partem tenent Vasquez 1. 2. disp. 172. cap. 2. num. 11. Alphonsus de Castro lib. 2. de Justa hæret. punitione, & alii apud Castro Palao de Hæresi. tr. 4. Disp. 4. par. 4. num. 3. ex illo fundamento, quod, quando dubium aut controversia est, an pena aliqua ipso Jure censetur inflicta, an verò per Judicis sententiam intelligenda, benigniorem sententiam oportet eligere, arg. c. In panis de R. J. in 6. atqui dubium & controversia est, num Beneficiorum prius ritè obtentorum poena ipso Jure incurritur, an verò per sententiam Judicis intelligenda veniat, præsertim, quia etiam c. Ut commissi. dicitur, vel privatos nuntiandi; ergo. Quibus non obstantibus,

262 Resp. II. Qui in Hæresi labuntur, eorumque Receptatores, & Fautores ipso Jure Beneficiis, &

Officiis Ecclesiasticis privati existunt Farinacius de Hæresi. q. 189. num. 77. Garcias de Beneficiis. p. 11. cap. 10. nu. 66. Gonzalez de Regul. Cancellar. Glossa 15. num. 65. Sanchez lib. 2. cap. 26. num. 6. Flaminius lib. 3. q. 1. num. 31. Castro Palao loc. cit. Covarruvias Variar. Resolut. cap. 3. num. 3. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 26. nu. 6. cum communiore, & probabiliori aliorum, arg. c. Ad Abolendam h. t. ubi per ly Spoliatus actualem privationem ab ipso Jure impostam denotari, satis liquet; & c. Ut commissi. 12. eod. in 6.

Nec obstat, quod c. Ut commissi. 12. h. t. dicitur tur privandi, vel privati nuntiandi; Nam, uti bene advertunt Doctores citati, ibi dictio vel, non disjunctivè, sed expositivè, seu declarativè accipienda est, ut sensus sit, privandi, hoc est privati nuntiandi: idque ob dicenda infra.

Confirmatur praxi, & consuetudine, qua est op. 264. Legum interpres, c. Cùm dilectus de Consuetud. præsertim quam observat Hyly Curie Romanæ, utpote quæ pro lege haberi solet, arg. c. Ex litteris. de Const. & c. Quam gravi de Crimine falsi; atqui juxta consuetudinem & stylum Curie Romanæ Hæreticus à die commissi Criminis Hæresis censetur privatus Beneficio, ita ut à lapsu in Hæresim nulli amplius resignari, sed à quovis imperari valeat, de quo stylo Sanchez, & Farinacius citati; ergo.

Illustrationem notandum, quòd, licet ob lapsum in Hæresim quis ipso Jure privetur Beneficiis prius obtentis; tamen ante sententiam Criminis declaratoriam illud dimittere, & fructus post privationem ipso Jure statutam perceptos restituere non tenetur. Farinacius q. 189. num. 80. Sanchez loc. cit. num. 7. Castro Palao loc. cit. num. 5. Azorius p. 1. lib. 5. cap. 8. q. 3. Ratio est; quia quandoque poena ipso Jure lata etiam externam executionem requirit, tunc ad inducendam obligationem in conscientia requiritur sententia declaratoria Criminis commissi, prout amplius diximus Lib. I. Tit. II. de Const. à num. 227. arg. c. Cùm secundum 19. h. t. in 7.

Inferitur proin, privationem Beneficiorum prius ritè obtentorum locum non habere, quando Hæresis manet occulta, licet ceteroquin verè sit externa in sensu num. 236. explicato; quia quoad occultata est, declarari non potest, ut consideranti patet.

Queritur VI. Quid Juris circa privationem Sepulturæ, quam Hæresis inducit? Resp. I. Quicunque Hæreticus, in Hæresi notoriè decedens, sicut etiam Receptatores, Fautores, & Defensores eorum ipso Jure privati existunt Sepulturæ Ecclesiasticæ, ut jam diximus Lib. III. de Sepultura. a. n. 78. arg. c. Sicus 8. h. t. & c. 2. eod. in 6. ubi ulterius disponitur, quid Juris, si Hæreticus in loco sacro sepelitur? ibi: Quicunque hæreticos, credentes eis, receptores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumpsit Ecclesiastica tradere sepultura, usque ad justificationem idoneam, excommunicationis sententia se novèrint subjacere. Nec absolutio beneficium mereatur, nisi propriis manibus publicè extirpulent, & projiciant hujusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuè caveat sepultura. Vide etiam que diximus cit. Lib. III. de Sepultura. nu. 78.

Queritur VII. An etiam, & quas Penas spirituales incurrant filii, & nepotes Hæreticorum? Resp. I. Tam filii, quam nepotes patris hæretici, soli autem filii, non item nepotes matris hæreticæ ipso Jure sunt inhabiles ad Officia, & Beneficia Ecclesiastica, & irregulariter. Omnes ob clara Jura c. Quicunque. 2. §. Hæretici. h. t. in 6. cujus textum lege supra num. 256. & c. Statutum. 15. eod.

in 6. ubi fidem repetitur, simulque additur: Primum & secundum gradum (consequenter filios, & nepotes) per paternam lineam, per maternam verò ad primum (filios scilicet) duntaxat volumus hoc extendi. Idem est de filiis & nepotibus Credentis, Receptoris, Defensoris, & Favoris alicujus Hæretici; usque de quibus præfata Jura pariformiter loquuntur.

269 Inferitur: Filium Matris hæreticæ esse inhabilem ad Officia, & Beneficia, ac Ordines, etiam si pater illius esset Catholicus; item filium, & nepotem patris esse inhabilem, etsi mater esset Catholica, uti post Glossam in cit. c. Statutum. 15. h. t. in 6. §. Inane, bene advertit Farinacius de Hæresi q. 191. num. 63. Pithing h. t. num. 104. & alii.

270 Limitatur tamen Conclusio in casu, quo parentes dictorum filiorum se convertunt, atque Ecclesiæ credunt, & obediunt, aut obedire parati sunt, ab eo enim tempore filii eorum Ordinum, Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, capaces sunt, sive dein ante, sive post conversionem eorum nati sint; prout satis clarè dispositum habetur cit. c. Statutum 15. §. Hoc sanè h. t. in 6. ibi: Hoc sanè de filiis, & nepotibus hæreticorum creditur, & aliorum hujusmodi; qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur; intelligendum esse, videtur: non autem illorum, quos emendatos esse constituta, & reincorporatos Ecclesiæ unitati, & pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiæ penitentiam recepisse; quam ipsi vel jam perceverunt, vel humiliter persequutioni ejus insistant, vel parati fuerint ad recipiendam eandem.

271 Hinc Sanchez lib. 2. Moral. cap. 37. num. 6. bene advertit discrimen inter parentes hæreticos, credentes &c. & descendentes illorum quoad hanc poenam, videlicet, quod parentes maneat ad cuncta Officia, & beneficia Ecclesiastica inhabiles, etiam postquam fuerint conversi, nisi dispensetur cum eis, per dicta num. 258. Filii verò illorum per parentum conversionem à poena hac inhabilitatis sunt immunes; ita ut absque ulla dispensatione Beneficium, vel Ordines suscipere valeant.

272 Nisi sint de parentibus in Hæresi relapsis, horum enim filii, sicut & parentes remanent inhabiles, etiam si parentes hujusmodi denuo convertantur. Farinacius de Hæresi. q. 191. num. 65. Anchoranus in cit. c. Statutum. h. t. 1. num. 6. not. 3. Sanchez lib. 2. cap. 27. num. 23. Pithing h. t. num. 105. cum communiore & probabiliori aliorum cum Glossa ibidem §. Incorporatos. Ratio est; quia ad hoc, ut filii Hæreticorum sint habiles ad Beneficia, duo requiruntur, videlicet I. Ut parentes eorum sint emendati, & conversi. II. Ut Ecclesiæ unitati sint incorporati, seu reconciliati: Quod posterius deest in relapsis iterum penitentibus; utpote, qui non obstant iteratà conversione, & penitentia illorum, sine ulla Ecclesiæ audientia puniendi relinquuntur Curie, & Potestati seculari, textu expresso c. Super eo q. h. t. in 6. consequenter Ecclesiæ verè reconciliati, aut unitati ipsius incorporati non censentur; quamvis aliqui contrarium sentiant.

273 Nonnulli Conclusionem ulterius quoad filios, & nepotes Hæreticorum, Receptorum, Favorum &c. in Germania limitant: Tam quia Irregularitas, & inhabilitas ad Beneficia afficiens Hæreticos videtur provenire ex radice infamie, cui de Jure subjacent Hæretici per dicenda infra num. 293. atqui in Germania Hæretici infamia non laborant; utpote qui per Fœdera & pacta publica, præsertim pacem Mansuetudinem, & Osnyngensem ab omni Juris poena immunes, pari libertate, privilegio & favore

cum Catholicis gaudent; ut proin causâ & radice Irregularitatis, & inhabilitatis ad Beneficia in eis cessante, effectus quoque in eisdem cessare merito censetur; arg. c. Cùm cessante causâ. 60. de Appel. lar. ibi: Cùm cessante causâ cesset effectus: Tam quia in eadem Germania Juri contrario derogatum videtur per consuetudinem legitime præscriptam, c. fin. de Consuetud. & l. De quibus 32. ff. de Legib. constat enim, tam ad Ordines, quam ad Beneficia sine difficultate, ac sine dispensatione admitti filios, & nepotes Hæreticorum, eorumque Defensorum, Receptorum &c. in Germania. Quibus non obstantibus,

Resp. II. Etiam in Germania, & Romano Imperio filii, ac nepotes Hæreticorum ipso Jure sunt irregulares, & inhabiles ad Dignitates, Beneficia, & Officia Ecclesiastica, nisi alicubi consuetudo legitime præscripta in contrarium existat, & prout Juris, probari valeat. Ita communissima Doctorum etiam Germanorum, utpote qui indistinctè & sine exceptione Germanorum docent, filios & nepotes omnium hæreticorum esse irregulares, & inhabiles ad Beneficia & Officia Ecclesiastica Conclusio, loquendo de Jure communi, est certa, prout ipsi fatentur Adversarii; eò, quòd Jus universaliter, & sine ulla distinctione omnes hæreticorum filios, & nepotes præfate Irregularitatis & inhabilitati subijciat; Juris autem verba generaliter sunt intelligenda, c. Quia circa 22. de Privileg. & ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, per vulgaria. Hinc solum probandum, quòd Juri communi circa has penas in Germania non fuerit derogatum per fundamenta ab Adversariis allegata, publica videlicet Pacta & Fœdera infamiam abolentia, ac consuetudinem contrariam.

275 Et quidem, quòd per memorata publica Fœdera & Pacta Principum Catholicorum cum hæreticis inita nullatenus SS. Canonibus, & legibus Ecclesiasticis, poenisque præsertim spiritualibus per eos statutis fuerit derogatum, patet; quia Laici in Lege Ecclesiastica, vel poenis per eas latis dispensandi, vel tollendi eisdem, penitus nullam habent potestatem; cum respectu SS. Canonum omnes Christi fideles etiam Principes, imò & Hæretici sint veri Subditi, & teneantur eisdem, ut cum communi & certa aliorum supra Lib. I. Tit. II. de Constitut. §. 12. diximus; Consequenter Pacta, & Fœdera, & Statuta eorum contra Canones nil valent, nisi ab Ecclesiâ acceptentur, & approbentur; atqui memorata Pacta, & Fœdera Catholicorum cum Hæreticis contra leges & poenas Ecclesiasticas facta, ab Ecclesiâ non fuerint acceptata, & approbata, sed potius positivè reprobata, juxta dicta supra n. 154. ergo.

276 Confirmatur; quia si dato, non concessio, per memorata Fœdera, & Pacta publica omnis etiam Jure Canonico inducta infamia fuisset sublata, tamen per hoc non esset sublata Irregularitas, & inhabilitas ad Beneficia, & Officia Ecclesiastica, eò quòd poena Irregularitatis, & inhabilitatis ad Beneficia ab Ecclesiâ non fuerit lata ob infamiam eorum, prout male, & sine fundamento supponit Objectio, sed in odium hæresis, ad eamque averterendam, & extirpandam, ob quem finem ipsa quoque infamie poena in eos statuta est, quatenus nempe timore similium poenarum deterretur alii ab hæresi sibi caveant, & alii ab eadem convertantur; ergo.

277 Confirmatur: hæretici omnes etiam in Germania juxta ipsos quoque Adversarios sunt irregulares, & inhabiles ad Officia & Beneficia Ecclesiastica non obstantè, quòd juxta eisdem Adversarios à poena infamie in Germania sint immunes; ergo

ergo infamia hæreticorum non est causa & radix Irregularitatis, & inhabilitatis ad eorundem Officia, & Beneficia Ecclesiastica consequenter etiam filii eorum sunt, & manent irregulares, & inhabiles ad Beneficia, etsi dato, non concessio ab omni Juris infamia essent immunes.

178 Probatur nunc etiam, quod neque per consuetudinem derogatum sit præfato Juri communi quoad filios, & nepotes hæreticorum: Tum quia de illa universaliter non constat, nec universaliter pro Germanis probari poterit, quod tamen requiritur ad hoc, ut effectum contra Juris dispositionem universaliter habeat per dicta Lib. I. Tit. IV. §. VI. Hinc etiam Papa casu ad Curiam suam delato, juxta dictam Legem judicat, & filios nepotesque hæreticorum etiam in Germania irregulares, & inhabiles ad Beneficia declarat, uti testatur summè in his prædictis Conradus Prax. Dispensat. Apostol. lib. 3. cap. 4. à n. 1. ergo.

179 Accedit, in ipsa etiam Germania filios hæreticorum ut irregulares & inhabiles ad Beneficia in praxi reputari, prout ipsi vidimus, dum quidam de Nobilissima Familia, & optimè Catholicus idèd præcisè, quia à Matre hæretica, & in hæresi, defuncta erat genitus (Patre ipsius tunc jam converso existente) non fuerit admittus, donec Romà dispensationem attulerit.

180 Dicitur autem notanter in Conclusione nu. 274. posita, Nisi alicubi consuetudo legitime præscripta in contrarium existat, Et prout Juris probari valeat, cum enim poena Irregularitatis, & inhabilitatis ad Beneficia à sola Lege humana proveniat, ei per consuetudinem legitime præscriptam derogatur in loco, ubi verè existit, arg. c. fin. de Consuetud. dummodò, prout Juris, probari valeat; quod difficultillimum est, ut constat ex dictis Lib. I. Tit. IV. de Consuetud. §. 7. per totum: ubi etiam num. 171. cum communi, & certa aliorum diximus, illum teneri probare consuetudinem, qui eam pro favore sui allegat, arg. L. 2. ff. de Probat. Porro per hoc, quod quis probat, consuetudinem existere in una vel altera Dioecesi, aut Provincia Germaniæ, non hoc ipso probat, eam etiam in alia Dioecesi, vel tota Germania existere; cum vis & effectus consuetudinis contra Legem in uno loco, aut Dioecesi non se extendat ad alia loca, ubi dicta consuetudo nondum existit; per vulgaria, ut proin ex eo, quia in una vel altera Germaniæ Dioecesi existit consuetudo, filios hæreticorum admittendi ad Beneficia, universaliter inferri, & doceri non possit, dicendo: In Germania filii, & nepotes hæreticorum non sunt inhabiles ad Beneficia.

181 Resp. III. Filii hæreticorum, Credentium, Receptorum, Defensorum &c. non tantum sunt inhabiles ad Officia, & Beneficia Ecclesiastica, sed insuper ipso Jure etiam privantur iis prius ritè obtentis. Doctores supra num. 262. citati; item Farinacius de hæresi q. 191. num. 57. Joan. Andreas in c. Ut commissi. 12. h. t. in 6. Gutierr. qq. Can. lib. 2. cap. fin. num. 38. Tum per Jura & rationes ibidem adductas, præsertim ex cit. c. Ut commissi. 12. h. t. in 6. cujus textum vide supra citato num. 260. ibi: Eorumque filios, Et nepotes &c.

182 Vult quidem Sanchez lib. 2. Moral. cap. 28. num. 28. Abbas in c. Urgentis. 10. num. 4. h. t. & ibi Felinus num. 3. Menochius Consil. 805. num. 33. Clarus §. hæresis. num. 14. Pirhing h. t. num. 106. & plures alii à Sanchez citati, filios hæreticorum privari quidem Beneficiis obtentis post lapsum parentum in hæresim, non verò illis, quæ obtinentur ante parentum lapsum in Hæresim: quam sententiam idem Sanchez pluribus probare conatur ibid.

Verùm hæc sententia non caret difficultate ob citati fatentur, alios hæreticorum privari Beneficiis prius ritè obtentis arg. cit. c. Ut commissi. 12. h. t. ergo necessariò privantur Beneficiis obtentis ante parentum lapsum in hæresi hoc ipso, quod post lapsum parentum in hæresi, & dum parentes illi sunt hæretici, Beneficium aliquid ritè & valide obtinere non valeant; cum talium parentum filii ipso Jure sint inhabiles ad Beneficium ritè & valide obtinendum, juxta Omnes per dicta supra num. 268. arg. c. Quicumque 2. h. t. in 6. consequenter, si filii ob hæresim parentum privantur Beneficiis prius obtentis, necessariò privari debent obtentis ante lapsum parentum.

Confirmatur ulterius ex pluribus Constitutionibus Pontificiis, quas refert Sanchez lib. 2. Moral. cap. 28. num. 27. (ad quas tamen ibid. n. 37. etiam respondere, easque pro se interpretari conatur) ut proin Sententia dicens, filios hæreticorum ipso facto privari Beneficiis etiam ante lapsum parentum in hæresi obtentis, spectando Jura, omnino probabilior videatur; quamvis etiam Sanchezii contraria sententia supra num. 282. allegata, satis æqua & non improbabilis appareat, quam etiam tenent Abbas in c. Urgentis. h. t. num. 4. & ibi Felinus num. 3. Butr. num. 9. Covarruvias Variar. Resolut. lib. 2. cap. 8. num. 4. in fine, & plures alii à Sanchez citati.

Resp. III. Hæcenus allegatis Pœnis spiritualibus subjacent hæreticorum filii non tantum illi, qui post, sed etiam qui ante lapsum parentum in hæresi nati sunt. Farinacius de hæresi q. 191. num. 52. Covarruvias Variar. Resolut. lib. 2. cap. 8. à num. 5. per totum, ubi relatis, & reprobatis contrariis fundamentis Conclusionem latè probat, Surdus Confil. 386. num. 7. Azorius p. 1. lib. 8. cap. 13. Rubrica de quarta Hæreticor. pena. q. 8. Menochius de Præsumpt. lib. 5. Præsumpt. 33. à num. 17. Barbosa in c. Statutum. 15. num. 3. Riccius de Jure personarum extra gremium existent. & plures alii citati à Sanchez lib. 2. cap. 27. num. 9. Estque sæpius decisum in Rota Romana, teste Farinacius loc. cit. arg. c. Vergentis. 10. h. t. c. Quicumque 2. & c. Statutum. 15. eod. in 6. Quæ & alia Jura filios hæreticorum indistinctè subjiciunt pœnis. Rationes pro hac sententia plures assert Sanchez loc. cit. n. 9. Inter quas etiam sunt,

Primò, ut ex filiorum poena gravius supplicium sentiant parentes hæretici; quæ ratio æquè, imò fortius militat de filiis ante, quam post delictum parentum natis, cum longè vehementior sit amor parentum in filios jam natos, utpote quos præ oculis habent, quam in nascituros, quos non vident. Nec severitatem sapit, quod proles innocentes propter subsequens delictum parentum puniantur: Nam contra est: Tum quia juxta Omnes, filii etiam innocentissimi & Catholicè puniuntur propter antecedentem hæresim parentum; ergo etiam propter subsequentem, cum non fit major ratio de parentum delicto antecedente, quam subsequente. Tum quia ipse Deus quoque filios ante delictum parentum natos, ob subsequens illorum delictum subinde punire solet, prout bene notat c. Vergentis 10. h. t. ubi postquam de poena filiorum parentis hæretici ordinationem fecit

277 sentiant parentes hæretici; quæ ratio æquè, imò fortius militat de filiis ante, quam post delictum parentum natis, cum longè vehementior sit amor parentum in filios jam natos, utpote quos præ oculis habent, quam in nascituros, quos non vident. Nec severitatem sapit, quod proles innocentes propter subsequens delictum parentum puniantur: Nam contra est: Tum quia juxta Omnes, filii etiam innocentissimi & Catholicè puniuntur propter antecedentem hæresim parentum; ergo etiam propter subsequentem, cum non fit major ratio de parentum delicto antecedente, quam subsequente. Tum quia ipse Deus quoque filios ante delictum parentum natos, ob subsequens illorum delictum subinde punire solet, prout bene notat c. Vergentis 10. h. t. ubi postquam de poena filiorum parentis hæretici ordinationem fecit

fecit Papa, subjungit: Nec hujusmodi severitatis censuram Orthodoxorum exhereditatio filiorum, quasi cuiusdam miserationis pretextu debet ullatenus impedire: cum in multis casibus, etiam secundum Divinum iudicium, filii pro parentibus temporaliter puniantur.

288 Secunda ratio est; quia Jura præsumunt fore, ut filii imitentur mores parentum, arg. l. Quicumque §. Filii. C. Ad Leg. Jul. Majest. & pluribus loc. cit. probat Sanchez.

289 Accedit praxis, & consuetudo Optima legum interpres, l. De interpretatione. ff. de Legib. vi cuius constat, etiam ante crimem hæresis natos filios hæreticorum puniri: de qua præxi plures etiam practici testantur Doctores, in Specie Simancas de Catholicis Instit. Tit. 29. n. 22. Rojas de Hæres. p. 2. num. 356. Penna, &c. quibus, cum teste Sanchez loc. cit. fuerint Inquisitores Fidei, utique credendum.

290 Plures rationes & fundamenta hujus sententiæ, qui desiderat. videat apud Covarruviam loc. cit. & Sanchez loc. cit. à num. 6. Qui tamen ultimum postquam longè lateque probavit nostræ Conclusionis sententiam, num. 18. amplectatur, & ulque ad finem probare conatur contrariam, videlicet filios hæreticorum natos ante hæresim pœnis Juris non subjacere; quem dato casu, pro favore talium filiorum legere poteris.

291 Queritur VIII. Quid Joris de illis, qui ad preces vel recommendationem hæreticorum acquirunt Beneficia? Resp. Illos ipso actu in perpetuum privari taliter acquisitis, & si tale Beneficium scienter, id est, scientes, eum, qui preces offert, esse hæreticum, ut explicat Glossa in c. Statim citandum §. Scienter acceperunt, etiam ad alia fieri inhabiles, ita clarè statuitur c. Quicumque §. Ad hæc h. t. in 6. ibi: Ad hæc quoscunque viros Ecclesiasticos, qui ad preces hujusmodi postulerint personarum Dignitates, Personatus, & quæcumque alia Ecclesiastica Beneficia sunt adepti, ex tunc privamus taliter acquisitis, volentes, quod tales & habitus caveant perpetuò, & si receperint illa scienter, ad alia vel similia nequaquam impetierim admittantur.

§. VI.

De Pœnis Hæreticorum temporalibus, & corporalibus.

SUMMARIUM.

- 292 Poena hæreticorum temporales in compendio referuntur.
- 293 I. Est Infamia, ad quam tamen requiritur sententia declaratoria Judicis.
- 294 Nisi sit hæreticus notoriè talis.
- 295 An, Et qualiter poena Infamiæ afficiat Fautores, Defensores &c. hæreticorum?
- 296 Hæretici sunt inhabiles ad Officia, honores & aGus Civiles.
- 297 II. Poena est Intestabilitas activa, Et passiva.
- 298 Etiam ad pias causas.
- 299 Que secundum aliquos primùm post sententiam declaratoriam.
- 300 Secundùm probabiliores verò ante illam obligat.
- 301 III. Est Privatio patriæ potestatis.
- 302 IV. Amissio Dotis, Et omnium privilegiorum mulieribus de Jure competentium.
- 303 V. Est Confiscatio omnium bonorum.
- 304 Que tamen ante sententiam declaratoriam non obligat.
- 305 Nisi hæreticus sit notoriè talis.
- 306 Executio Confiscationis à quo, Et quomodo

fieri debeat; sive sit hæreticus Clericus, sive Laicus?

307 In ea attenditur tempus, Et dies criminis commissi, etiam post mortem hæretici.

308 Plura de hac Poena, Remissivè.

309 VI. Liberatio ab omni obligatione, quæ servi, Et alii hæretico erant obstricti. Et num. seq.

311 Etiam si obligatio fuerit jurata. Papa potest aliquem absolvere à vinculo juramenti. Ibid.

312 Qui debet aliquid hæretico, non tenetur solvere illi.

313 Nec servus ei obedire, vel obsequi.

314 Qui liberantur ab obligatione hæretico debita, adstringuntur Fisco.

315 Exceptis servis Catholicis.

316 Fides publica, per auctoritatem publicam data, etiam hæreticos servanda est.

317 Idque si Jure gentium, ac Divino.

318 Nullio Fides publica data in Concilio Constantiensi non fuit fracta.

Fidem frangentem filios frangi potest. Ibid.

319 Hæretici impenitentes ultimo supplicio affici, Et comburi debent, etiam Clerici, prius tamen degradati.

320 Hæretici relapsi etiam puniuntur ultimo supplicio afficiuntur.

321 Relapsi alii sunt verò tales: Et qui?

322 Alii si se tales: Et duobus num. seqq.

325 Hæretici non relapsi, si statim, ac deprehendantur, panitent, poenam mortis evadunt.

326 Si quatuor concurrant conditiones.

327 Statim panitere dicitur etiam adhuc ille, qui post sententiam ab Ecclesia contra se latam panitet, antequam tradatur Curie seculari.

328 Hæretici etiam non relapsi, Et statim panitentes perpetuò subjacent carceribus.

329 Deprehensi in hæresi qui dicantur? Et num. seq.

331 Cum damnatis ad carceres perpetuos potest, Et solet dispensari.

332 Et quomodo?

333 Filii Et filia etiam Catholicæ Hæreticorum privantur omni successione, Et bonis paternis. Et num. seq.

335 Non item successione ascendenti, collaterali, vel aliorum Catholicorum.

336 Sunt etiam infames. Et num. seq.

338 A reliquis temporalibus, Et corporalibus pœnis sunt immunes.

339 De filijs hæreticorum natis ante hæresim patris, Remissivè.

340 In Germania hæretici Lutherani laici sunt immunes à pœnis hæreticorum temporalibus.

341 Non item Clerici hæretici.

342 Utrum alterius, quam Augustinæ Confessionis, Et Sæcæ hæretici laici in Germania sint immunes à pœnis hæreticorum? usque ad num. 346.

Pœnis Hæreticorum temporales in compendio sunt sequentes. I. Est Infamia, & inde sequens inhabilitas ad omnes actus Civiles. II. Intestabilitas tam activa, quam passiva. III. Amissio patriæ potestatis in filios. IV. Dotis, & aliorum privilegiorum mulieribus de Jure concessorum. V. Confiscatio omnium bonorum. VI. Quoddam Vassalli & servi, aliique liberentur ab omnibus etiam juratis obligationibus Domino, vel alii debitis. VII. Pœnis corporales, mortis præsertim, & perpetui carceris. De quibus omnibus specialia instituemus Quæsitæ. Hinc Queritur I. An, & qualiter hæretici contrahant poenam Infamiæ? Resp. I. Hæretici omnes sunt infames Infamia Juris. Communis, & certa can. Infames

Insuper 17. can. 6. q. 1. c. Excommunicamus 13. §. Credentes. h. t. §. Authent. Gazaros. C. h. t. ibi: Omnes hæreticos utriusque sexus quocumque Nomine censentur, perpetuam damnationem infamiam. Ad quam tamen incurendam requiritur sententia non quidem condemnatoria, sed declaratoria criminis commisi, ut cum communi bene advertunt Sanchez lib. 2. Moral. cap. 26. num. 1. Azorius p. 1. lib. 8. cap. 13. q. 8. §. Septima. Pirhing h. t. num. 52. Layman lib. 2. tr. 1. cap. 16. & alii.

294 Nisi crimen hæresis sit publicum, & notorium, tunc enim abique ulla sententia declaratoria ipso facto infamis est Hæreticus, ita tamen, ut per conversionem iterum ipso facto aboleatur infamia, Sanchez loc. cit. num. 2. Azorius loc. cit.

295 Resp. II. Poena infamiae etiam Receptores, Defensores, & Fautores hæreticorum afficit, non ante tamen, quam fuerint declarati excommunicati, & ab eo tempore intrâ annum satisfecere contempserint. Textu claro cit. c. Excommunicamus. 13. §. Credentes. h. t. ibi, Credentes præterea, receptores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicamus, firmiter statuente, ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfecere contempserit, & tunc ipso iure sit factus infamis. Ex quo textu patet, huiusmodi Receptores &c. ab infamia esse liberos, si intrâ annum satisfecerint.

296 Resp. III. hæretici, eorumque Receptores, Defensores &c. sunt etiam inhabiles ad honores, officia publica, & omnes actus Civiles, ita ut nec Iudices, nec Advocati, nec Testes, nec Consilarii, aut alii Officiales, vel Ministri publici esse valeant, Barbofa in c. Excommunicamus 13. h. t. a. num. 25. Farinacius de hæresi. q. 89. a. num. 43. eoque testes Canonice omnes, arg. cit. c. Excommunicamus 13. §. Credentes h. t. ubi post textum num. præced. allegatum immediate subiungitur: Nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittitur. Concordat c. Quicumque c. hæreticis. eod. in 6. Manichæos. 4. l. Quæ Samaritanis. 18. junctâ Authent. Credentes C. de hæreticis. Quibus Juribus etiam statuitur, quod si quis horum ad honorem, dignitatem, aut officium publicum assumatur, vel aliquem ex dictis actibus exerceat, omnia nulla, & irrita esse.

297 Queritur II. An, & qualiter hæresis inducat poenam Intestabilitatis? Resp. I. hæretici nec Testamentum, nec Codicillum, nec aliam voluntatem ultimam facere, nec hæredes institui, nec ex alia voluntate ultima quidquam capere, nec ab intestato succedere possunt. Communis, & certa, claris Juribus cit. c. Excommunicamus 13. §. Credentes. h. t. ibi: Sic etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. & l. Manichæos. 4. §. 2. §. 5. C. h. t. ibi: Ipsos quoque volumus amoveri ab omni libertate, & successione, quolibet titulo veniente: & intrâ §. 5. Ergo & scriptura illius irrita sit, sive Testamento, sive Codicillo, sive Epistola, sive quolibet alio genere reliquerit voluntatem. Concordant Authent. Credentes, & l. Ariani, & l. fin. C. eod. ibi: Divinam nostram sanctionem, per quam iustissimum, neminem errore hæreticorum contritum hæreditatem, vel legatum, vel fideicommissum accipere, etiam in ultimis Mæritis voluntatibus locum habere præcipimus, sive Jure communi, sive militari testentur.

298 Et quoniam præfata Jura universaliter, & indistincte loquuntur, nec ad pias causas testari, vel ultimam aliquam voluntatem facere possunt Hæretici. Farinacius de Hæresi. q. 190. §. 6. num. 92.

Barbofa in c. Excommunicamus. 13. h. t. num. 29. Pirhing h. t. Nec militare testamentum condere. l. fin. C. h. t. nec filios instituire valent, l. Manichæos 4. §. 6. C. h. t. ibi: Sed nec filios, nec hæredes eis instituire, aut adire permittimus.

Controversia autem est inter Doctores, num 299 hæc poena Intestabilitatis habeat locum etiam ante sententiam Judicis condemnatoriam, vel declaratoriam? Sanchez enim lib. 2. Moral. cap. 24. num. 3. & illum sequens Castro Palao de Fide. Tr. 4. Disp. 5. pun. 26. Farinacius de hæresi. q. 190. nu. 89. Pirhing h. t. num. 74. & alii volunt, Testamentum hæretici ante sententiam Judicis esse validum, posse tamen per sententiam invalidari, arg. c. Excommunicamus. §. credentes. h. t. ubi dicitur: sit intestabilis, quo verbo fit, temporis futuri sententiam sentendam importari, dicunt.

Econtra Barbofa in c. Excommunicamus. h. t. 300 num. 30. Covarruvias in Clem. Si furiosus. p. 1. §. 2. num. 2. Pennia in Director. Inquisit. p. 2. comment. 165. Peregrinus de Jure Fisci, lib. 5. Tit. 1. num. 172. & alii docent, Testamentum hæretici esse ipso Jure nullum, ita, ut si sequatur sententia declaratoria Criminis, effectus retrahatur ad diem commissi Criminis, & ab illo censetur Testamentum nullum. Ratio est; quod, licet textus Juris Canonici interpretando trahi possit ad priorem sententiam, tamen Jure Civili clarè sancitum habetur, omnem ultimam voluntatem hæretici irritam esse, cit. l. Manichæos. 4. §. 5. C. h. t. textum lege supra num. 297.

Queritur III. Qualiter hæretici amittant privilegia? Resp. Hæretici à die Commissi Criminis ipso facto amittunt privilegia potestatem in liberos, hique efficiuntur sui juris, ita ut patet hæreticus illos nec emancipare, nec eis impuberibus substitutionem pupillarem facere valeat. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 24. n. 5. §. 6. Farinacius de hæresi. q. 197. num. 29. Pirhing h. t. n. 79. textu claro c. Quicumque. 2. §. fin. h. t. in 6. & ibi Glossa communiter recepta, v. Deserunt.

Queritur IV. An, & qualiter Dotis, & alia privilegia amittant Mulieres hæretice? Resp. Privilegium Dotis, quo mulier Creditoribus tempore prioribus anteponitur, nec non de tacitis hypothecis, & alia omnia mulieribus à Lege data, clauduntur his, quæ Catholicam non participant communionem, ita in formalibus statuitur §. Item privilegium. C. h. t. Ex qua generali dispositione Decianus, & alii rectè inferant, etiam beneficium S. C. Vellejani & alia Mulieribus hæreticis adimi.

Queritur V. An, & qualiter in poenam confiscantur Bona Hæreticorum? Resp. I. Bona Hæreticorum omnia à die commissi Criminis ipso jure confiscantur, ita ut nec filii eorum Catholicis successio aliqua, vel hæreditas relinquatur. Barbofa in c. Vergentis. 10. h. t. nu. 3. §. 29. Farinacius de hæresi. q. 190. num. 3. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 14. num. 1. eoque teste Omnes, & verè, idque clara c. Vergentis 10. h. t. c. Causa secundam. 19. h. t. in 6. ibi: Bona hæreticorum ipso Jure de Fratrum consilio decernimus confiscata. Concordat Authent. Gazaros. C. h. t. ibi: Censentes, quod omnia bona talium (Hæreticorum) confiscentur, nec ad eos amplius revertantur, ita ut filii eorum pervenire non possint: ubi etiam, sicut c. Vergentis. 10. h. t. ratio redditur: videlicet quod, cum Reorum criminis læsæ Majestatis bona dicto modo confiscantur, l. Quisquis. §. pr. C. Ad Leg. Juliam Majestatis. quanto magis (sunt verba c. Vergentis h. t.) qui aberrantes à Fide Domini Dei filium Jesum Christum offendunt, à Capite postro, quod est Christus, Ecclesiasticæ debent districtionis præcipi. & bonis tempa-

temporalibus spoliari; cum longè sit gravius, aternam, quam temporalem ledere Majestatem.

304 Resp. II. Quamvis hæreticorum bona ipso jure sint confiscata, indeque nulla requiritur sententia condemnatoria Criminis, juxta dicta; tamen requiritur sententia declaratoria ejusdem, ita ut anrequiritur sententia declaratoria non amittant, se hæc fecerint hæretici possessionem non teneant. Farinacius de hæresi. q. 190. numer. 5. Barbofa in c. Vergentis. 10. h. t. num. 3. §. 4. Sordas de Aliment. Tit. 9. q. 32. numer. 24. Sanchez lib. 2. Disp. 22. numer. 7. Pirhing. h. t. num. 60. cum communissima Ratio est; quia leges pœnales executionem executionem requirentes, ante sententiam Judicis declaratoriam non obligant, nisi habeant clausulam aliam etiam declaratione non secuta: prout amplius dictum, & probatum est Lib. I. Tit. II. de Constitut. à num. 227.

305 Limita tamen hæc Conclusionem in casu, quo hæreticus est notoriè talis, tunc enim nec declaratoria requiritur, Farinacius de hæresi. q. 190. numer. 5. Navarrus h. t. Confil. 20. n. 5. §. seq. Abbas in c. Cùm ab homine, de Judicis. num. 29. Felinus in c. 1. de Constitut. nu. 45. Pirhing. h. t. n. 58. Ratio est; Quia sententia declaratoria Criminis tantum requiritur, ut constet de Crimine; ergo si hoc jam notorium est, ita ut celari non possit, declaratio illius non erit expectanda, arg. c. Evidentia, de Accusationib. Volunt tamen quidem ex præfatis Doctoribus, in casu notorii Criminis requiri saltem, ut iudex assignet terminum ad excusandum factum, quo elapso executio pœnæ fieri potest abique ulla declaratione Criminis.

306 Resp. III. Executio Confiscationis fit sequenti modo, videlicet, quod, si hæreticus est Clericus, bona ipsius intuitu Ecclesiæ acquisita cedant Ecclesiæ, cui servit. Sanchez lib. 2. cap. 20. nu. 24. Barbofa in c. Excommunicamus. h. t. n. 7. Clarus v. hæresis nu. 13. Covarruvias lib. 2. Variar. Resolut. cap. 9. n. 12. & alii, arg. c. Excommunicamus 13. §. Damnati. h. t. ibi: Si verò Clerici applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia acceperunt, bona verò illius patrimonialia cedant Fisco, puta Episcopali, quia Clerici hæretici bona patrimonialia nullibi existuntur à pœna Fisci. Sanchez, loc. cit. num. 22. Pirhing. h. t. nu. 68. Farinacius de hæresi. q. 190. num. 154. & alii volentes, Episcopum debere bona huiusmodi confiscata ad causas pias applicare. Si autem Hæreticus est Laicus, Confiscatio fit per Judicem laicum, & bona confiscata pertinent ad Fiscum Principis secularis, ita tamen ut executio huiusmodi fieri non possit, nisi prius à Jure Ecclesiastico sententia commissi Criminis declaratoria fuerit lata, c. Causa secundam. 19. h. t. in 6. ibi: Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem Crimine fuerit promulgata: Quia in causa hæresis solus Ecclesiasticus est Iudex, juxta dicenda infra.

307 Resp. IV. In executione Confiscationis attenditur ad tempus, & diem Hæresis commissæ, ita, ut est declaratoria sententia, quia & accusatio Hæresis primùm post mortem hæretici ferret, effectus tamen sententiæ retraheretur ad diem commissi Criminis, & restitutio bonorum ab eodem tempore faciendâ esset. Farinacius de hæresi. q. 190. numer. 9. Hostiensis in c. Vergentis. 10. h. t. & ibi Joann. Andreas num. 1. Pirhing. h. t. num. 60. cum Glossa communiter recepta in c. Accusatus. §. Porro. h. t. in 6. arg. cit. c. Accusatus, ibi: Ad confiscationem post Reiffensuel Jus Can. Tom. V.

mortem illius nihilominus procedatur. Plura circa hæc Confiscationis poenam hæreticos efficientem, qui desiderat, legat fusè de illa tractantes Farinacius de hæresi. q. 190. per totum, Castro Palao de Fide. Traç. 4. Disp. 5. Sanchez sæpè citatum, & alios.

308 Queritur VI. An vassalli & servi, alique liberentur à privata obligatione debita Hæretico, & fide eidem servanda? Resp. Affirmativè. Omnes ob clarum Juris dispositionem c. fin. h. t. ibi: Absolutos se noverint à debito fidelitatis homini, & totius obsequio, quicumque lapsi manifestè in hæresim, aliquo pacto, quicumque firmitate vallato manent obstricti. Ubi Glossa v. Absolutos, bene observat, hæc poenam ipso Jure incurri, ita ut nulla requiratur sententia declaratoria, si hæresis est manifesta. Fagnanus in cit. c. fin. h. t. n. 3. & ibi Abbas n. 2. Barbofa n. 3. Gonzalez n. 1. Farinac. de Hæresi. q. 189. n. 63. & alii. Ratio est; quia verbum absolutus indicat sententiam ipso Jure latam.

309 Nec obstat c. Excommunicamus. 13. v. Maneantur. 320 h. t. ubi videtur, requiri sententia declaratoria Criminis. Nam contra est, quod hoc Capitulum non loquitur de hæreticis, sed de Catholicis Principibus Hæreticos extirpare negligentibus. Procedit Conclusio etiam in casu, quo quis juratam erga illum, qui in hæresim lapsus est, habuerit obligationem; Doctores citati, cum Glossa in cit. c. fin. h. t. communiter recepta. Enimverò ex cit. c. fin. h. t. Doctores communiter inferunt, posse Papam causâ Religionis Laicos ob delictum absolvere à juramento fidelitatis, & quavis aliâ etiam juratâ obligatione, quam prius erga Delinquentem habebant: Tum quia in omni promissione censetur excepta Religio causa, Gonzalez in c. fin. h. t. numer. 9. arg. ff. de In jus vocando. Tum quia in tali obligatione & juramento tacite intelligitur, si talis permanferit, cui de Jure communicare licet, seu, si de Jure non reddidit inhabilem aut indignum, Glossa in cit. c. fin. h. t. v. Aliquo pacto.

310 Inferitur I. Eum, qui aliquid debet Hæretico ratione emptionis, promissionis, mutationis, pignoris, depositi, mutui, vel alterius contractus, ipso Jure esse immunem ab obligatione; nec teneri servare promissum, pactum, vel contractum, aut si tamen etiam juratam hæretico datam. Farinac. de hæresi. q. 189. à nu. 57. Abb. in c. fin. h. t. n. 1. Pirhing. h. t. num. 82.

311 Inferitur II. Servos, & vassallos ipso Jure liberari à servitio, & fidelitate Domini hæretici, sicut & famulos, ac famulas ab obsequio ejusdem.

312 Resp. II. Servi, & debitores hæreticorum, quamvis liberentur ab Obligatione, servitio, & fidelitate Hæreticis præstanda, tamen non absolute liberantur, sed evadunt obligati Fisco, ita, ut, quod berantur, sed evadunt obligati Fisco, ita, ut, quod prius vel contractus vel alterius tituli debebant hæretico, debeant nunc Fisco, & qui prius erat servus Hæretici, fit modò servus Ecclesiæ. Farinacius de hæresi. q. 189. n. 68. Abbas in c. fin. h. t. & ibi Socinus n. 1. Felinus prin. Barbofa nu. 6. Castro Palao de Fide Traç. 4. Disp. 4. pun. 26. num. 21. eoque teste Communis, & certa aliorum. Ratio est; quia juxta dicta, omnia Hæreticorum bona, jura, & obligationes cedunt Fisco; ergo etiam jura quæ habebant in servos, & debita passiva.

313 Limitant tamen Conclusionem Castro Palao loc. cit. Pirhing. h. t. numer. 81. & alii in servis Catholicis, quos plene liberari, & sui juris fieri servos verò infideles aut hæreticos in servitium Fisci transire volunt, argument. l. Manichæos. 4. §. fin. h. t.

Resp. III. Licet quis fidelis liberetur à privata fide, & obligatione etiam jurata hæretico facta arg. c. fin. b. t. tamen fides publica à Principe, vel Republica, vel aliâ publicâ autoritate illi data omnino servanda est. Farinacius de Hæresi. q. 197. à num. 24. Castro Palao loc. cit. num. 22. Clarus §. Hæresis. num. 18. Menochius Consil. 106. nu. 226. Becanus de Fide cap. 16. q. 1. num. 8. Pirhing h. t. num. 83. cum communi aliorum, arg. c. 1. §. 3. de Pactis, l. 1. ff. eod. & l. Postlimin. §. 3. ff. de Captivis. ubi etiam hosti fides data dicitur servanda. Ratio est; quia ita exigit bonum commune, utpote quod multum turbaretur, & pateretur, si Hæreticis publica fides non servaretur, ut consideranti patet.

Accedit, quod fidem publicam omnibus etiam Infidelibus & Hæreticis servandam esse, velint etiam Jus gentium, & Sacre Paginae. Josue cap. 9. v. 18. §. 2. Reg. cap. 21. v. 6. nec non sacre historię, ex quibus constat, Deum ultorem fuisse violatę fidei publicę, ubiqueque datę.

Murmurant quidem, & conqueruntur communiter hæretici publicam fidem à Concilio Constantiensi datam Hussio, non fuisse servatam, utpote quem non obtante dicta fide dicunt combustum. Ast iniqua & mendax est hæc mormuratio ac querela: Tum quia fides publica Hussio non fuit data à Concilio Generali, sed ab Imperatore: Tum quia Imperator ei fidem publicam tantum dedit ad hoc, ut esset securus ab omni violentia contra Jus inferenda, quam Hussius passus non est, utpote qui de Hæresi convictus, mortis reus factus fuit: prout nonnulli etiam Aetholici fatentur Authores, in specie Myrsinger Cent. 1. Observat. 82. Tum quia Hussius prius frægerat fidem, cum contra eam Imperatori datam, & contra hujus prohibitionem sub pena capitali factam arripuerit fugam, ut bene demeritat Becanus de Fide. cap. 16. q. 6. & per consequens malę factum non fuisset, si dato, non concesso, fides eidem fracta fuisset, juxta tritum illud, Frangenti fidem, fides frangatur eidem. arg. l. Qui fidem. 16. ff. de Transact. & c. Sicut. 29. §. fin. de Jurejur. ubi: Juramentum, quod de assensu factum est utriusque, eum non ligat, qui præstitit, dum ille, cui præstitum fuerat, servare negligit, & c. Frustra. 75. de Reg. Jur. in 6. ibi: Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.

Queritur VII. Qualiter poena corporalis, Carceris præsertim, & ultimi supplicii statutz sint in Hæreticos? Ante responsum notandum, esse in hoc puncto aliquod discrimen inter hæreticos penitentes, & impenitentes, relapsos, & non relapsos. Hinc ut clara habeatur notitia, de singulis specialiter respondebimus. Et quidem circa impenitentes. Resp. I. hæretici impenitentes, id est, convertere se nolentes, sed in Hæresi sua pertinaciter perseverantes, ultimo supplicio afficiendi sunt, si Clerici sint, sive Laici, ita tamen ut Clerici hæretici prius degradentur, & postea Potestati sæculati penã mortis plectendi tradantur. Farinacius de Hæresi. q. 196. num. 4. Clarus v. Hæresis. num. 7. Abbas in c. ad Abolendam. 9. num. 13. Pirhing h. t. num. 92. Engel h. t. num. 15. Castro Palao de Fide. Tract. 4. Disp. 6. part. 2. n. 3. eoque teste Omnes, arg. l. Ariani. §. 1. Quicumque 8. C. b. t. c. Excommunicamus. 15. h. t. ibi: Damnati vero per licentiam, seculari judicio relinquuntur, animadversione debita puniendi, Clericis prius à suis Ordinibus degradatis, cum Concordantiis, & Constitutionibus Caroli V. 1540. edita, vi cuius Hæretici impenitentes comburi, respicientes verò gladio feriri jubentur: Quibus accedit consuetudo optima legum interpretis, quã constat, Hæreticos impeniten-

tes igne comburi: quo casu os eorum, & lingua ligari debet, ne suis blasphemis pusillos scandalizent, uti pluribus allegatis bene advertit Farinacius loc. cit.

Resp. II. Pariter ultimo supplicio afficiendi sunt hæretici relapsi, etiam si penitent, & post abolendam duo abjurent, & plenę se convertant. Clarus §. Hæresis. num. 7. Felinus in c. Ad abolendam. 9. h. t. n. 2. & ibi Holtienis non. 9. Abbas num. 1. Barbosa n. 20. Farinacius de Hæresi. q. 195. à n. 4. Castro Palao loc. cit. num. 7. eoque teste Omnes, arg. cit. c. Ad abolendam. 9. h. t. ibi: Illos quoque, qui post abjuratorem erroris, vel postquam se, ut diximus, proprii Antistitis examinatione purgaverint, deprehensi fuerint in abjuratam Hæresim recidisse, seculari judicio sine ulla paenitentis audientia decernimus relinquendos. Concordat c. Super eo. 4. & c. Accusatus. 8. h. t. in 6. Ratio est; quia longę pejus, & periculosius est, reincidere in hæresim, quã primum incidere.

Dicuntur autem relapsi, vel verè & propriè, vel fide, seu presumptione Juris. Verè & propriè relapsi dicuntur, qui postquam confessi, vel convicti hæresim abjurarunt, id est, jure jurando execrati sunt, in eam iterum inciderunt, ita, ut de eadem denuo convicti, vel confessi in iudicio existant. Farinacius de Hæresi. q. 195. n. 3. Pirhing h. t. n. 94.

Fide verò, seu ex presumptione Juris relapsi dicuntur tripliciter. Primò, qui de hæresi accusatus propter vehementem suspicionem in iudicio abjuravit hæresim, & postea in eam iterum ita lapsus est, ut de eadem vel convictus, vel confessus habeatur. Farinacius loc. cit. cum Communi, textu claro c. Accusatus 8. prin. h. t. ibi: Accusatus de hæresi, vel suspectus, quia magna de hoc crimine vehementer contra eum suspicio orta erat, si hæresim in iudicio abjuravit, vel postea commisit, in ipsa censeri debet, quãdam Juris fitione relapsus, licet ante abjuratorem suam, hæresim crimen plene probatum non fuerit contra ipsum. Qualiter relapsus æquè, ac verè relapsus, ultimo supplicio est afficiendus, ut bene advertit Glossa in Corpore communiter recepta.

Secundò dicitur quis fitione ex presumptione Juris in hæresim relapsus, qui postquam in una specie hæresis reus, hæresim universatim abjuravit, postea in aliam hæresim speciem incidit, c. Accusatus 8. §. Eum verò, h. t. in 6. ibi: Eum verò, qui in una Hæresi specie, vel Secta commisit, aut in uno fidei articulo, seu Ecclesię Sacramento erravit, & postmodum hæresim simpliciter, vel generaliter abjuravit, si ex tunc in aliam etiam hæresim speciem sive sectam, aut alio articulo, seu Sacramento committat, volumus ut relapsus in hæresim, iudicari. Rationem bene assignat Glossa ibid. v. Judicari, videlicet, quia omnes hæreses sunt connectę, habentes causas ad invicem colligatas, & in vanitate conveniunt in id ipsum, c. Excommunicamus. 13. h. t. Unde & hujusmodi relapsos ultimo supplicio affici debere rursus concedunt Omnes.

Tertiò dicitur fitione Juris relapsus, qui post abjuratam hæresim, in eandem notoriè non incidit quidem, sed favet hæretico, c. Accusatus. 8. §. Ille quoque h. t. in 6. ibi: Ille quoque, de cuius lapsu in hæresim ante abjuratorem constiterat, vel nunc constat: si post illam hæreticos vea pte, deducat, visitet, sive associet, aut dona, aut munera eis donec, vel mitat, seu favorem eis impendat, qui accusari non possit (videlicet propter necessitatem famis, ut si elemosynam dat hæretico in extrema, vel gravi necessitate, vel si ignoret, illum esse hbericum, prout explicat Glossa hie v. Non possit) merito debet iudicari relapsus, cum illum ex approbati se prius erroris consequentia non sit dubium, id fecisse. Et hi quoque per Jura citata, & communem Doctorum poenã mortis plectuntur.

Resp. III. Hæretici non relapsi, si statim, postquam deprehensi fuerint, sponte errorem suum confitentur, &

& poenitent, hæresique publicè abjurent, evadunt poenam mortis. Fagnanus in c. Ad abolendam 9. h. t. num. 15. Farinacius de Hæresi. q. 193. à num. 2. cum communi, & certa aliorum, arg. cit. c. Ad abolendam. 9. h. t. ibi: Punendus, nisi continuò post deprehensionem erroris, ad fidei Catholice unitatem sponte recurrere, & errorem suum juxta arbitrium Episcopi publicè confiteri abjurare, & satisfactionem condignam exhibere. Concordat c. Excommunicamus. 15. §. Si qui autem. h. t. Ratio est; quòd, licet aliàs ordinariè loquendo poenitentia non liberet à poena mortis per crimen promerita, tamen hoc speciale est in crimine hæresis, in qua pia Mater Ecclesię Index nullum poenitentem vult è gremio Ecclesię rejicere, sed ad exemplum Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur. & vivat, poenitentes ita misericorditer recipit, ut saltem poenam mortis evadant.

Ut tamen poenam mortis evadat hæreticus non relapsus, quatuor videntur requiri conditiones, in textu num. præced. allegato comprehensas. Videlicet I. Ut statim, seu continuò post deprehensionem erroris poeniteat. II. Ut sponte, & non metu mortis id faciat. III. Ut hæresim publicè abjuret. IV. Ut aliam poenam sibi imponendam subeat, & condignè satisfaciat. Fagnanus loc. cit.

Circa primam tamen conditionem maxima est controversia inter Doctores, videlicet qualiter ad evadendam poenam mortis continuo, seu statim (ut loquitur textus) debeat Hæreticus poenitere, & errorem confiteri, uti videre est apud Farinacium de Hæresi. q. 193. à n. 42. Et quamvis ponderando verba Juris debeat statim ac deprehenditur, & antequam depositiones testium, vel alia processus contra ipsum fiant, suum errorem confiteri, & poenitere debeat, prout etiam teste Farinacio loc. cit. plures Doctores in cit. c. Ad abolendam. h. t. docent, tamen praxis, & consuetudo optima legum interpretis habet, hæreticos non relapsos poenam mortis evadere, si in aliquo sensu non statim, sed primò post incarcerationem, vel etiam post receptas, & publicatas probationes, ac testium depositiones, vel immediatè ante, imò etiam post sententiam à Judice Ecclesiastico lata errorem fateantur, & verè poenitent, dummodò id faciant, antequam Curie sæculari tradantur. Farinacius loc. cit. n. 16. Gonzalez in c. Ad abolendam. 9. h. t. nu. 4. Sylvester v. hæreticus. §. 1. n. 18. Clarus §. Hæresis. num. 8. cum Communi aliorum testantium de communi consuetudine & praxi, etiam in Tribunali Inquisitionum. Azorius p. 1. lib. 8. cap. 14. q. 8.

Resp. IV. Quamvis hæretici non relapsi poenam mortis evadant, si, antequam tradantur Curie sæculari, verè poenitent, tamen subjacent adhuc aliis pœnis, & quidem ordinariè loquendo, perpetuis debent mancipari carceribus. Farinacius de Hæresi. q. 193. n. 101. Castro Palao de Fide Tr. 4. Disp. 6. prin. 1. num. 1. cum Glossa communiter recepta in c. Excommunicamus. 15. vers. Si qui. h. t. per textum eodem Capite expressum illis verbis: Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam poenitentiam, in perpetuo carcere deturbandum. Ratio autem, ob quam tam gravibus poenis mortis, vel perpetui carceris puniantur hæretici, est gravitas hujus criminis, maximeque damna, & præjudicia, quæ ex eadem non tantum Ecclesię & Religioni, sed etiam bono communi, & tranquillitati Reipublice sequuntur per dicta supra.

Ceterum deprehensi in hæresi, ad hoc, ut postea sponte redeant, & poenitentes in perpetuum carcerem detradi possint ac debeant, dicuntur illi, qui vel evidentiã facti, & notoriè sunt hæretici: vel de hæresi legitime convicti habentur. Barbosa in c. Eo Reiffensuel Jus Can. Tom. V.

communicamus. 15. h. t. num. 6. Glossa ibid. §. Deprehensi.

Hinc si quis notorius hæreticus non existens, hæresim & errorem suum sponte saltem fateatur, & poenitet, dum capitur, vel denuntiatur, vel antequam testes contra ipsum examinentur, vel saltem antequam testium depositiones contra eum publicentur, in perpetuos carceres detradi necessarium non debet. Castro Palao loc. cit. Farinacius de Hæresi. q. 193. num. 3. Rois Tract. de hæretico. p. 2. num. 197. & segg. Pegna Direct. p. 3. q. 93. comm. 141. Pirhing h. t. num. 91. Gonzalez in c. Excommunicamus. 15. h. t. num. 2. Ratio est, quia tales deprehensi in hæresi non censentur.

Resp. V. Etsi quis juxta dispositionem Juris ad poenam perpetui carceris etiam irremissibiliter per sententiam fuerit condemnatus, possunt nihilominus Inquisitores cum Episcopis hanc poenam mitigare, eamque vel in carceres ad certum tempus, vel in aliam poenitentiam commutare. Farinacius de Hæresi. q. 193. à nu. 104. Clarus §. Hæresis. n. 7. Castro Palao de Fide. Tract. 4. Disp. 6. prin. 1. n. 2. Gonzalez in c. Excommunicamus 15. h. t. n. 2. Pirhing. h. t. n. 91. & alii, arg. c. Ut commissi. 12. §. Es illorum. h. t. in 6. ibi: Et illorum, qui mandatis vestris obediens humiliter stant propter hæresim in carcere, vel muro inclusi poenam unã cum Prælati, quorum Jurisdictioni subsunt, mitigandi, vel mutandi, cum videbitur expedire. Quæ est specialis dispositio Juris, cum aliàs de ordinario Jure loquendo, Index, postquam tulit sententiam, censetur functus Officio, ita ut in illa dispensare, vel eam mutare amplius non valeat, prout amplius dictum est lib. 11. Tit. XXVII. de sentent. & re judicata à n. 33.

Porro circa hanc dispensationem, & mitigationem poenę, praxis Officii Inquisitionis illud habet, quòd cum damnatis ad perpetuos carceres simpliciter dispenfet post Triennium, cum damnatis verò irremissibiliter, post octo annos dispenfet, si humiliter & patienter poenam sustineant, verèque poenitentis, & emendationis signa edant. Farinacius loc. cit. Gonzalez in c. Excommunicamus. 15. h. t. numer. 2. Idem facere possunt Episcopi in locis, ubi Officium Inquisitionis non viget; quis in hujusmodi locis idem, quod Inquisitores, valent, item etiam superiores Regularis ibi, ubi vi consuetudinis legitime præscriptę suos subditos in causa hæresis iudicant.

Queritur VIII. An, & quibus poenis temporalibus vel corporalibus ex allegatis subiaceant filii hæreticorum? Resp. I. Filii etiam Catholici parentum hæreticorum privantur quavis hereditate paternã, tam ex testamento, quã ab intestato esse alias competentem, & omnibus aliis bonis paternis. Farinacius de Hæresi. q. 191. à n. 1. cum Communi aliorum, ob clara Jura c. Vergentis. 10. h. t. c. Cum securidam. 19. eod. in 6. & Authen. Gazaros. C. h. t. per que Jura derogatum videtur Legi Cognovimus. 19. C. Ad Leg. Julis Majorat. eod. ubi Catholici filii admittuntur ad hereditatem, & successorem paternam. Rationem hujus ex cit. c. Vergentis. h. t. iam allegavimus supra num. 303. quæ ratio eodem c. Vergentis, ultra rursus iustificatur illis verbis: Nec hujusmodi severitatis censuram, Orthodoxorum exhereditatio filiorum, quasi cuiusdam miserationis prætextu debet ullatenus impediri, cum in multis casibus (etiam sectandam Divinum iudicium) filii pro patribus temporaliter puniantur: & juxta Canonicas Sanctiones quandoque servatur ultio non solum in Authores Scelerum, sed etiam in progeniem damnatorum.

Amplius Conclusio etiam ad filias, ita ut etiam priventur Dote. Farinacius loc. cit. num. 8. Azorius p. 1. lib. 8. cap. 12. q. 6. & ad Nepotes, alioque def-

cedentes, ita ut ab ascendibus hæreticis nec ab incestato, nec ex testamento aliquid percipere valeant. Farinacius loc. cit. numer. 22. Pirhing h. t. num. 100.

Verum tam conclusionem numer. 333. positam quam ampliationem numer. præced. factam limitat Sanch. lib. 2. cap. 27. à num. 10. in filiis natis ante hæresin parentum; sicut enim filios natos ante Crimen læsæ Majestatis à parente commissum non incurere pœnas temporales. ita etiam filios natos ante crimen læsæ Majestatis divinæ seu hæresin, eandem pœnas evadere vult; & ad longum ex professio probat.

335 Resp. II. Filii hæreticorum non sunt incapaces hereditatis ascendentium, collateralium, & exterrorum Catholicorum. Farinacius de hæresi. q. 191. numer. 26. Decian. in Tract. Crimin. lib. 5. cap. 45. n. 5. y. Limita octav. Molin. de Jure & Justit. disp. 6. numer. 19. Gomez de Delictis. cap. 2. Rubr. de Crimine læsæ Majest. Divinæ, & humanæ. num. 13. Pirhing h. t. n. 99. & alii. Ratio est; quia Jura privationem successione ex Testamento, & ab intestato statuentia de sola successione paternâ, non item Avi, collateralium, & exterrorum bonis loquuntur, consequenter ad hæc extendenda non sunt: c. Odiâ. de Reg. Jur. in 6. Panis. eod. in 6. cum Concordantibus, ob quam Juris rationem, & dispositionem vera manet Conclusio, licet filii Reorum criminis læsæ Majestatis humanæ non solum à paternâ, sed quavis alia successione sint exclusi. l. Quisquis. pr. 5. C. ad Leg. Jul. Majestatis. ibi: Filii verò ejus, quibus vitam Imperatoris specialiter lenitate concedimus (paternam etiam deberent perire supplicio) in quibus paternâ, hoc est, hereditarii criminis exempla metuuntur, à maternâ vel avitâ, omnium etiam proximorum hereditate, ac successione habeantur alieni de testamentis extraneorum nil capiunt, sint perpetui egeres, & pauperes, infamia eos paternâ semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniunt: sint postremo tales, ut his perpetuâ egestate sortentibus sit mors solatium, & vita supplicium Ratio est; quia Lex penalâ non est extendenda ultra casum, & personas in Jure expressas: prout alibi amplius diximus.

336 Resp. III. Filii Hæreticorum sunt etiam infames. Farinacius de hæresi. q. 191. numer. 26. Covarruvias lib. 2. Varior. Resol. cap. 8. numer. 1. in fine. Molina de J. & J. Tom. 3. Disp. 658. numer. 25. Pegna in Directorio Inquisit. p. 1. Comment. 4. y. Hæc autem infamia, cum Communi contra Sanchez lib. 2. Moral. cap. 28. n. 5. Probant aliqui Conclusionem ex c. 2. §. hæretici. h. t. in 6. ubi filii hæreticorum declarantur inhabiles ad Beneficia, & Officia, atque irregulares; ergo (inferunt) etiam infames; sed minus rectè, quia, uti supra jam dictum, dari potest & datur inhabilitas hujusmodi, ac irregularitas absque infamia; ergo hæc ex illa male inferunt. Alii probant ex l. Quisquis. c. C. ad Leg. Jul. Majestatis. ubi Rei læsæ Majestatis humanæ perpetua notantur infamia, ibi: Infamia eos paternâ semper comitetur; ergo (inferunt) etiam filii hæreticorum tanquam Reorum criminis læsæ Majestatis Divinæ sunt infames. arg. c. Vergentis. 10. h. t. Verum & hanc illationem non esse genuinam, constat ex numer. præced.

337 Hinc aliter, & optimè probatur ex pluribus Constitutionibus Pontificiis, ut Innocentii IV. Ad extirpanda, editâ 1252. Alexandri IV. rursus Ad extirpanda, editâ 1259. Clementis IV. quæ pariter incipit Ad extirpanda, editâ 1265. Honorii IV. Exibita, editâ 1286. Quibus specialiter statutum habetur, filios hæreticorum esse infames, ut videre est apud Farinacium, & Pegna loc. cit. Accedunt etiam Constitutiones Frederici Imperatoris idem ex-

pressè statuentes: ut proin ruat principale fundamentum Sanchez docentis contrarium ex eo, quòd nullo Jure reperitur statuta pœna infamiae in filios Hæreticorum.

Resp. IV. Reliquæ pœnæ temporales, & corporales hæreticorum, filios eorum Catholicos nullo modo afficiunt. Communis ac certa. Ratio est; quia nullibi in Jure statutum reperitur, filios hæreticorum Catholicos alicui ex præfatis pœnis subjacere. Imò quòd à pœna corporali sint immunes, positive statutum invenitur c. Vergentis. 10. h. t. & l. Quisquis. 5. C. ad Leg. Julia Majestatis.

Ceterum utrum pœna infamiae, & privationis omnium successione in bona paternâ afficiat hæreticorum filios non tantum nota post hæresin patris, sed etiam genitos ante illam, uti supra diximus de pœnis quibudam spiritualibus, vide latè pro, & contra discussum & finaliter negative concludentem apud Sanchez cit. lib. 2. Moral. cap. 27.

Queritur IX. Num pœnæ temporales, & corporales afficiant hæreticos in Germania, & Romano Imperio? Resp. I. hæretici laici Augustanæ Confessionis, Lutherani videlicet, in Foro Civili temporaliibus, & corporalibus pœnis non subjacent. Layman. lib. 2. Tr. 1. cap. 16. n. 4. in 6. p. p. Pirhing h. t. numer. 83. Ratio est, quia vi Pacis, & Fœderis publici, Religiosi recuperati, à Pontifice non rejecti, gaudent cunctis privilegiis, Juribus & immunitatibus Civilibus, uti Catholici, per dicta supra, quod etiam praxi continuâ comprobatur.

Dicitur notanter, hæretici laici; quia si Clericus in hæresin quamcumque tandem, etiam Lutheranam labatur, pœnis temporalibus, & corporalibus, carceris v. g. perpetui (non item ultimi supplicii) omnino subjacet, illicque à Judice Ecclesiastico executive affici potest, & debet: Tum quia quoad personas Ecclesiasticas Principes laici per illum publicum Tractatum valide aliquid statuere non poterunt, arg. c. Que in Ecclesiis. 10. de Constitut. & amplius patet ex dictis Lib. I. Tit. II. de Constitut. ubi latè probatum est, leges, statuta, & dispositiones Laicorum de Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis etiam in favorem illarum factas, omni penitus carere valore. Tum quia Ecclesia quoad personas Ecclesiasticas nec tacite, nec expresse approbavit illud Fœdus, eximendo hæreticos à pœnis Juris, imò contrarium huc usque practicavit, & etiamnum praticat; Clericos hæreticos deprehensos temporaliter, & corporaliter puniendo, & ad Carceres etiam perpetuos detrudendo.

Dicitur notanter, Hæretici laici Augustanæ Confessionis; quia num etiam aliterius Confessionis, & Sectæ hæreticæ, v. g. Calvinistæ, Zwingliani, Hugonotæ &c. sint immunes à pœnis temporalibus, & spicualibus, meritò dubitari potest; quia per Pacem publicam Religiosam Passavi conditam, & postea Augustæ confirmatam, soli Hæretici Augustanæ, non item aliterius Sectæ immunes à pœnis, & participes sunt facti jurium & privilegiorum, quibus gaudent Catholici.

Nec juvat alios hæreticos, si dicatur illos à pœnis hæreticorum exemptos, juriumque, & privilegiorum Civilium participes esse factos saltem postea per publicam Pacem Monasteriensem, & Ofnabrungensem. Nam contra est, quòd illa Pax non tantum nullo, nec tacito modo approbata, sed positive reprobata, & annullata, & irrita declarata fuerit ab Ecclesia per Bullam Innocentii X. supra num. 154. allegatam. Hinc quamvis in Foro Civili illa Pax de facto observetur, ac propterea etiam alii hæretici à pœnis immunes permitantur; tamen spectando Jura Judex Ecclesiasticus hujusmodi hæreticos etiam laicos temporaliter punire, & ad perpetuos

carceres detrudere posse videtur; cum nullo Jure, aut valido pacto consecantur exempti.

344 Dicitur autem repetitis vicibus spestando Jura; quia utrum non saltem consuetudine legitime præscripta à pœnis immunes, juriumque, & privilegiorum Civilium participes sint hæretici laici alterius, quàm Augustanæ Confessionis, aliis discutendum relinquimus.

345 Illud certum est non expedire, ut Judex Ecclesiasticus hæreticum hujusmodi laicum propter hæresin temporaliter, aut corporaliter in his partibus puniat, eò quòd sine publica perturbatione id fieri vix possit, hæreticis cunctis publice Pacis fractionem conquerentibus, & pro manutentione illos apud Catholicos instantibus, vel bellum novum propterea moventibus; ut propterea ad evitandum majus malum etiam alterius quàm Augustanæ Sectæ hæreticos laicos impunitos, ac vindictæ Divinæ relinquere debeat; Enimverò ad evitandum majus malum, præstat minus permittere, & impunitum relinquere, per vulgaria Jura.

§. VII

De Potestate absolvendi ab Hæresi & aliis Casibus reservatis, competente Episcopis.

SUMMARIUM.

- 346 Papa nullum peccatum nisi ob annexam Excommunicationem reservat.
- 347 Forus est triplex, alius contentiosus.
- 348 Alius poenitentialis, alius conscientie.
- 349 Absolutio pro Foro conscientie valet quoad omnia, nisi lis moveatur in Foro externo.
- 350 Ordinarii vi Tridentini possunt absolvere ab omnibus delictis occultis etiam Hæreticis.
- 351 Que facultas quoad casus Bulla Cane fuit revocata juxta communem Doctorem.
- 352 Per eandem Bullam.
- 353 Quod probatur per Declarationis Cardinalem.
- 354 Et Decreta Pontificum.
- 355 Alii negant esse revocatum.
- 356 Probare conatur suam opinionem ex Jure. Et tribus numer. seqq.
- 360 Solvunt argumenta contraria. Et duobus numeris sequentibus.
- 363 Sententia prior est tenenda.
- 364 Solvuntur argumenta sententiae posterioris usque ad num. 369.
- 369 Episcopus v. Delegatus Apostolicus potest absolvere ab Hæresi notoria, si Reus illam prius abjurat.
- 370 Virtute specialis facultatis Episcopi Germaniae absolvent à quavis Hæresi.
- 371 Impeditur personaliter accedere Papam, nequit per Episcopum absolvi à Casibus Bulla Cane juxta aliquos.
- 372 Juxta communem verò, & probabiliorum potest.
- 373 Probatur ex Jure.
- 374 Solvitur instantia.
- 375 Debet tamen ob Episcopo absolutus obligari, ut cessante impedimento adeat Papam.
- 376 Nisi habeat specialem facultatem absolvendi.
- 377 Solvitur instantia.
- 378 Referuntur in compendio impedimenta ad eundem Papam: atque declarantur usque ad num. 389.
- 389 Inter que juxta aliquos etiam frequentia casuum est. Et numer. seq.
- 391 Contrarium est verum.
- 392 Bulla Cane non potest non recipi.

393 Impeditur personaliter adire Papam, non tenetur mittere Procuratorem, aut scribere pro Absolutione. Et numer. seq.

Supponitur I. cum communi Doctorem, quòd S. Pontifex ordinariè nullum peccatum sibi reservet, nisi propter annexam Excommunicationem sibi item reservatam. Unde sublatâ Censurâ, censetur ablata reservatio culpæ; & ita si quis v. g. tempore Jubilæi, vel alias Confessario habenti specialem facultatem absolvendi à casibus Summo Pontifici reservatis fuisset confessus, ab eoque absolutus ab omni vinculo Excommunicationis, omnia tamen per oblivionem absolutione casus Reservati Papæ, postea postmodum ab hoc per quemlibet Confessarium absolvi. Et similiter si hæreticus ignoret, hæresin annexam esse Excommunicationem, ac proin hanc non incurrit ratione ignorantie, juxta dicenda infra Tit. XXXIX. de Sententia Excommunicat. potestis à quodlibet Confessario absolvi. Pirhing h. t. numer. 37. & Bassicus y. Casus reservatus. tom. 1. numer. 2. Layman. lib. 5. tractus. 6. cap. 12. numer. 2. & alii passim.

Supponitur II. cum Ludovico Miranda Tom. 1. 347. Quæst. Regul. quæst. 46. art. 7. Sanchez lib. 3. de Matrimon. disp. 34. numer. 29. & aliis quòd triplex sit Forus, alius Contentiosus, alius poenitentialis, alius verò Forus conscientie, qui est medius inter utrumque. Forus contentiosus idem est, ac Forus externus, & c. Forus, de Verb. significat. describitur dicendo: Forus est exercendarum litium locus.

Forus poenitentialis est Forus Sacramentalis, quoad do scilicet aliquis in Sacramento poenitentiae ab aliquo peccato, vel censura absolvitur, sive, non prestita sibi Absolutione litatur. Forus tandem conscientie mediat inter utrumque; licet enim Forus Sacramentalis videatur nonnullis idem esse, ac Forus conscientie, reverà tamen differunt: nam Absolutio, quæ conceditur in Foro poenitentiae, potest fieri à solis Sacerdotibus Confessoris, & quidem in Sacramento poenitentiae. Absolutio verò in Foro conscientie ab Excommunicatione, & aliis Censuris potest ab habentibus legitimam potestatem tam intrâ, quàm extrâ Sacramentum poenitentiae, dummodo sit primâ Tonsurâ initiatus, præstare, ut cum aliis à se citatis notat Navarra cap. 27. Manuali. n. 41. quamquam commodius sit, ac magis receptum, ut talem Absolutio committatur Presbytero.

Supponitur II. cum communi Doctorem, quòd Absolutio pro Foro Conscientie valet quidem quoad omnia, præterquam, quando lis movetur in Foro externo: tunc enim Judex secundum rigorem Juris potest non habere rationem hujus Absolutionis, nisi eam ultro acceptare velit; quia Absolutio pro Foro conscientie data, nihil præjudicat Foro externo. Unde hæreticus v. g. absolutus ab habentibus legitimam potestatem pro Foro conscientie, si postmodum accusetur de hæresi in Foro externo, non evadit, pœnas hujus Fori externi, etiam si poenitentia aliqua publica fuisset ipsi imposita pro Foro conscientie. Ratio est; quia utrumque judicium tendit ad diversos fines: nam in Foro conscientie precipue consideratur salus animarum, & compensatio offensæ Divinæ; in Foro autem externo debet attendi ad publicam vindictam, & satisfactionem Reipublicæ, quam Reus pravò suo exemplo offendit. Pirhing h. t. n. 44. cum aliis citatis, & Layman lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 7. pluribus hanc Absolutionem pro Foro conscientie declarans. His suppositis.

Queritur I. An, & quando Episcopi habeant facultatem absolvendi ab hæresi, & aliis Casibus Papæ reservatis? Præsertim an concessa eadem à